



CL. 186.

I V
2518

D. Chr. Frid. Boerner progr. de
tione reformandi a Joanne VIII. Mi-
serensi Episcopo, Henrico Saxonice
Duci proposita.


RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
INSTAVRATAE
RELIGIONIS EVANGELICAE
MEMORIAM
PRIDIE KAL. NOV. A. CIO 10CC. XXXIX
IN AEDE PAVLINA
SOLENNI ORATIONE
CELEBRANDAM

INDICIT



auctor hujus scripti est D. Chr. Fr. Börner,
Th. D. et Prof. prim. agit grec de
Johane Malfitio, clisenensi episcopo.

RECTOR
ACADEMIE THIENIENSIS
INSTAVRATÆ
REGIONIS EVANGELICÆ
MEMORIAM
TRIDÆ KAL MAR A.D. MDCCLXXII
IN VEDU PAULINI
SOLENNITATI Oratione
CEREBRANDAM
INDICIT





uae, post coeptam a B. LUTHERO, anno
CICCI XVII, euangelicae doctrinae instaura-
tionem, in sequentibus aliquot annis hac in re
gesta sunt, commentationibus nonnullis, an-
niuersariae Reformationis memoriae recolen-
dae causa, a seculi huius XX, XXI, XXIV,
XXVIII, XXXII, XXXVI, scriptis, enarrauimus. Solenne il-
lud nostrum, hac etiam scritione, qua nimirum annum illum,
a religiosissimo Saxonie Principe Electore, IOHANNE
GEORGIO II, olim institutum, feliciterque iam redeun-
tem, Reformationis indicimus diem festum, cum maxime fer-
uandum esse, arbitramur. Etenim, quo proprius ad nos per-
tinent, quae nono hoc atque tricesimo, supra millesimum et
quingentesimum, diuinitus contigerunt, anno, si quidem, illo
ipso, praeter Marchiam, HENRICI Saxonis ditioni subiec-
tae regiones, Misnia et Thuringia, speciatimque Lipsia no-
stra, restituta Euangeli luce collustrari cooperunt, eo magis
par est, vt, ex anni huius actis, ad anniuersarium, quod instat,
sacrum invitaturi, scribendi argumentum petamus.

Quandoquidem autem de sacrorum his in regionibus in-
staurazione, ac speciatim de Ecclesiae pariter, atque Acade-

IV

miae Lipsiensis reformatione, ducentis abhinc annis, HENRICI, cognomento PII, auspicio copta, indeque felicissime peracta, itemque de admirandis hoc in opere diuinae prouidentiae documentis, praesenti hoc anno, vna et altera data occasione, tum in primis in sacris eucharisticis, superiori mense Augusto, ab Academia eam ob rem celebratis, pluribus iam expositum fuit, ne actum agamus, reformationem, ad quam Serenissimum Principem, HENRICVM, inducere conatus est Miseneris ecclesiae praeful, vt hac arte veram amoliretur subuerteretque sacrorum emendationem, curatius paullo considerare, nobis est constitutum.

Praerat Episcopatu Miseneri eo tempore, quo, post GEORGII fratri obitum, haereditario iure ad se delatas, prouincias HENRICVS in fidem atque clientelam suam recipiebat, IOHANNES, huius nominis VIII, ex *Maltitiae* gente; a condita ecclesia cathedrali, secundus et quadragesimus praeful. *α)*

Eodem

- α)* Addubitari quidem posse videtur, an IOHANNES VIII, secundus et quadragesimus fuerit Praeful, propterea quod inter praefules, a GEGORIO FABRICIO in *Annalibus Miseneribus* enarratos, itemque in *Catalogis Episcoporum Misenerium*, cum eo, quem Vir Clariss. CHR. SCHOETTGENIVS, ex MSto Wurcenensi edidit, in append. *Hist. Wurc.* p. 6, et sqq. tum illis, quos PETRVS ALBINVS, *Misen. Chron.* tit. XXII, p. 280, LAVR. FAVSTVS, *Hist. Misen.* p. 91, sqq. et alii plures contexuerunt, quartus est et quadragesimus tenet locum. Attamen his preferandam omnino esse arbitramur *Bioygraphias* Episcoporum Misenerium, quae in codice *Salbusiano* tabulari ecclesiae Cathedralis Miseneris habetur, auctoritatem. Recensentur autem in illa pariter, atque alia, quae in eodem tabulario extat, a BVRCKHARDO, primo Ecclesiae Episcopo, usque ad IOHANNEM VI, SALHUSIVM, connumerato eo, praefules *quadraginta*. Instituti nostri ratio non fert, enumerationis huius veritatem pluribus edifferere, ad quam confirmandam, et Munachi *Pirnensis* testimonium, ap. I. B. MENCKENIVM, *Scriptorum Rer. Germ. T. II*, p. 1583, et IOHANNIS VII, SCHLEINITII, atque NICOLAI II, CAROLOVITII, epitaphia, quae in aede oppidana Stolpensi, teste C. S. SENFFIO, *Hist.*

Eodem fere is in euangelicam religionem animo erat, quo antecessor fuerat, acerrimus videlicet ille LVTHERI, reparataeque ab ipso doctrinae hostis, IOHANNES VII, ex Schlemitorum familia ortus. Multum adeo vterque dissimiles fuerunt IOHANNI VI, gente Salhusio, qui reformationis LVTHERI initia extrema attigit aetate. Hic, egregiis virtutibus excellentissimus, antistes singularem, quo in veritatem coelestem ferebatur, amorem etiam ante, quam Euangeli lux Vitembergae oriretur, compluribus declaravit dictis factisque, in *Testium Veritatis catalogum* hinc meritissimo referendus iure. β) Nam, cum sacris litteris legendis assiduam, praeter seculi morem, operam daret, quantopere a pristino suo nitore atque integritate religio deflexisset christiana, probe animaduertebat. Testis est memorabilis ipsius vox,

A 3 GEOR-

Hifl. Eccl. Stolp. p. 440, hodieque supersunt, et illum *primum et quadragesimum*, huic *tertium et quadragesimum* praedicant Episcopum, non leue praefidium afferre, existimamus.

α) Locupletem *Testium Veritatis catalogum* composuit, ediditque Argentinae, a. 1562, MATTHIAS FLACIVS Illyricus; quem, cum *auctario*, Francofurti, a. 1666, recudendum curauit IOH. CVNR. DIETERICVS. Sed in vitroque complures, et in his etiam IOHANNES Salbusius, desiderantur. Locum autem inter testes illos Praesulem huncce cum maxime mereri, singulari dissertatione, qua orationem de reformatione LVTHERI, IV Id. Nou. a. 1664, hic Lipsiae, indixit, JAC. THOMASIVS demonstravit. Dicta eam in rem factaque IOHANNIS nostri in primis memoriae prodidit GE. FABRICIVS, *Annal. Misn.* lib. II, p. 162, et I, III, p. 172, sq. et *Orig. Saxonie*. lib. VII, p. 846; vnde illa ipsa repeterunt DAV. CHYTRAEVIS, *Saxonie* I. II, p. 50; MATTH. DRESSERVS, *Ifag.* P. IV, p. 157; IOH. WOLFIUS, *Leet. memorab.* T. II, f. 118; Illufr. SECKENDORFIVS, *Comment. de Lutheranismo*, lib. I, p. 25; W. E. TENZELIVS, *de ortu et progr. Reformat.* c. II, p. 94, sqq. c. SCHOETTGENIVS, *Hifl. Wirc.* c. II, p. 59, sqq. aliisque. Add. qui de vita rebusque gestis Episcopi huius studiosius, praeter ceteros, commentatus est, CHR. SAM. SENFFIVS, *Hifl. Eccl. Stolpensis*, cap. I, p. 1, sqq.

VI

GEORGIO etiam, Anhaltino Principi, annotata.) Nempe dixit: *si sacra Biblia lego, aliam inuenio religionem, quam quae nostra hodie est, et illam nostris moribus et institutis valde dissimilem.* Itaque pro eo, ac poterat, aliquam Ecclesiae suae suscepit reformationem, et Statuta eius pariter, atque libros, quibus orando, legendō, cantando, vtuntur sacerdotes, emendandos, imprimendosque curauit; δ) opera ad id vſus Guil.

BET-

;) Opp. Germ. f. 446, a. edit. Witt. 1577. conf. G. FABRIC. *Annal. Mifn.* I. III, p. 172, ed. Lips. Voegelin,

δ) teste FABRICIO, Libro III, p. 162. Extant in Bibliotheca Academiae noſtre Paulina, *Statuta Synodalia Episcopatus Misnensis*, vna cum Constitutionibus Rom. Imp. FRIDERICI II, CAROLI IV, et SIGISMUNDI, itemque OTTONIS I, Imp. fundatione Ecclesiae Misnensis, et IOHANNIS XIII, R. P. confirmatione, iuſſu et auctoritate IOHANNIS VI, Ep. Mifn. in vnum collecta, typique impressa hic Lipsiae, a 1504. Statuta haec, superioris seculi septimo ac vicefimo anno, Budissinæ recudenda curauit, Collegiate et ingenuae ibidem ad D. Petrum Ecclesiae Decanum, idemque designatus Episcopus Suidnicensis, et rel. GREGORIVS CHATTMANN a MAVRUGK. Instituti huius sui causam in praefatione his exponit verbis; „quod, cum, lapsu etiuria temporis, Statutorum istorum exemplaria distraha fint, et omnino ferre perierint, eorumque obseruantia in desueridinem deuenerit, ipse officii fui esse autumauerit, „ne bene constituta, et ab Ecclesia Mifnensi ingenua ac exempta ante, „hac, tanquam a matre, obseruata, in Collegiata sua, ab ea promanata et „olim dependente, antiquarentur, ea denuo typis mandare, et publici „iuris facere.“ In fine libri haec leguntur: *Statuta ista, cum aliis eis adiundis, ex speciali commissione Reuerendissimi in Christo Patris et Domini, Domini IOHANNIS de SALHAVSEN, Episcopi Mifnensis, per venerabilem et egregium virum, Dominum GVILELMVM de BETZSCHITZ, virtusque Iuris Doctorem, pro tunc curia Episcopalis Mifnensis Officialem generalem, in ordinem praecepsum redacta et diligenter emendata, perque Melchiorrem Lotter, in famulo oppido Lipsia Merburgensis Dioecesis, praediū Domini Episcopi impensis, pro conſervacione status Ecclesiasticis, sunt impressa, anno Domini millesimo, quingentesimo, quarto. Recusa et correctius euulgata, impensis Reuerendissimi Dn. Episcopi Administratoris et Decani Budissinensis, typis Nicolai Zipseri, Chalcographi Budissinensis. Diuersa ab his sunt Canoniconum Statuta, eodem*

BET SCHITII, Canonici, et Andr. PROLIS, monachi Augustiniani, qui et ipse inter veritatis testes, instantisque prope sacrorum instauracionis vates, praeclarum adeptus est nomen. e) Ac plura quidem de prisca illis institutis immutasset laudatus praesul, nisi peculiares quaedam obstatissent rationes. g) Quo enim, pontificiam missam, quo, monastream viuen-

dem Praefule curante, in capitulo, a. 1498, habito, in compendium redacta, sed typis nunquam euulgata, quea memorantur a SENFFIO, l. c. p. 50. Statutis, cura ipsius editis, addendum est liber, qui inscribitur: *Benedictionale, sive, Agenda secundum ritum et confuetudinem Ingenuae Ecclesiae Misnensis, Lipsiae, per Melch. Lotterum, a. 1512.* in 4to excusus, ex quo veritatis testimonia nonnulla adduxit B. D. CHRISTOPH. DAN. SCHREITERVS in sermone sacro, qui sub titulo: *Wurzniſcher Kirchen-Reihen*, prodiit Lipsiae, a. 1674. cont. SCHOETTG. l. c. p. 62, et SENFF. l. c. p. 24, sqq. et p. 49. *Missalis binas*, eodem IOHANNE praefule, adornatas editiones recenter SENFFIVS, l. c. p. 27, sqq.

(a) ANDR. PROLIS vitam, post alios plures, singulari studio descriptis CL. SCHOETTGENIVS in programmata, Dresdae edito a. 1734.

(e) Nempe, ut alia taceamus, Pontificis ille metuebat potestatem, huncque adeo ne offendaret, caendum sibi esse, censebat. Neque vero etiam IOHANNES noster *Salbusius* pleniori veritatis euangelicae, oppositorumque ei Pontificiorum errorum, praeditus erat cognitione, sed grauiores tantum nonnullas, quibus res Christiana depravata erat, agnoscendo corruptelas, quoad illas pariter, atque peruersa virae clericorum instituta, emendatione omnino opus esse, iudicabat. Sunt, qui LVTHERI, Reformationis initium facientis, causae parum eum fauisse, contendunt. Fidem rei facere videntur, quae LVTHERVS ipse SPALATINO, m. Ian. a. 1518, scriptis: *Episcopo Misnensi quid acciderit, satis miror, nisi illud Ecclesiastici verum patitur in se ipso:* honores mutant mores, et vulgo adieciunt: sed raro in meliores; nec vidi unquam bonitatem, nisi quod antea Vicario nostro amicissimum suisse scio. Sed non mireris, mi Spalatine, de me mala dici. vid. T. I. Epp. LVTH. f. 45. b. Quem ad modum autem ex his, quid in LVTHERO nostro speciatim reprehenderit Episcopus, satis intelligi nequit, tum vero, quae de huic in illum odio non nemo refert, ipsis successori, IOHANNI Sebleinitio, tribuenda sunt; ita vix credibile est, pugnam, aduersus impudenc-

VIII

viuendi rationem, quo tot ad pomparam fastumque non modo,
sed ad superstitionem etiam summam compositos ritus caeri-
moniasque, habuerit loco, apophtegmata ipsius, a Ge. FABRI-
CIO, Dau. CHYTRAEO, et aliis, memoriae tradita, satis su-
perque docent. In primis autem indulgentiarum nundina-
tionem maximopere auersatus est, ^η) nec quaestoribus illarum,
ut chartaceas illas per ditionem suam venales extruderent
merces, facile permisit, quin potius, ab ordine Teutonicio in
Liudonia conductos, institores, nomine et auctoritate Mag-
deburgensis antistitis, id facere conantes, *ingenuae Ecclesiae*
suae libertatem praetendens, dioecesi sua seuere prohibuit,
reque ad IVLIVM II Pontificem delata, causam suam dex-
tre defensitauit. ⁹⁾ Cumque postea famosus ille TEZELIVS
candem in Saxonia faceret mercaturam, caecae miseraeque
plebis, pro indulgentiis pecuniam numerantis, dementiam do-
luit, tum vero etiam, quod nimia Dominicanus iste monachus
impudentia et temeritate praedius esset, ultimum eum in-
dulgentiarum institorem fore, haud vano augurio, praedixit.
⁴⁾

Omit-

pudentissimum illum indulgentiarum quaestorem, TEZELIVM, a
LVTHERO suscepit, vere illum improbase, cum tot tamque illu-
stria in contrarium sententiam extent documenta; nec dubium est, quin,
si diutius vixisset, paucis enim mensibus post diem obiit supremum, cla-
rius in dies exsplendescensem euangelicam veritatem prorsus admis-
sus fuisset.

⁷⁾ Id quod etiam in supra dictis Statutis Synodalibus prodidit, si quidem
tit. de quaestoribus et denuntiatoribus Indulgentiarum indiscretarum, p. 35,
edit. Budisi. haec leguntur: Percepimus etiam, quod nonnulli in et per
Dioecesin nostram, sine licentia nostra, praedicant, absoluunt, et publicant
indulgentias indiscretas, ut simplices decipiant, et aurum, fabili, immo fal-
laci ingento, extorquent ab iisdem, quod, cum in animarum cedat pericu-
lum et scandalum plurimorum: Nos huic pestifero morbo obuiare volentes,
principimus, etc.

⁸⁾ V. FABRIC. Annal. I. III, p. 172, et Orig. Sax. I. VII, p. 846.

⁹⁾ FABRIC. I. C. ALBIN. Chron. Misn. f. 342.
- 18 -

Omitto alia, quae optimi huius Praesulis de corrupto ecclesiae statu sententiam, eique pro viribus medendi studium declarant.

Hoc pertinacius autem auitis erroribus inhaesit, qui in ipsis, anno, supra millesimum et quingentesimum, decimo octauo, demortui locum, plurimorum suffragiis, suffectus fuit, Praesulatumque in annum usque septimum ac tricesimum ges-
sit, ^{a)} IOHANNES VII, Schleinitius. Non iuuat, referre, quantopere is euangelicae doctrinae obstiterit instauratiōni, quo modo cum ipse, tum per alios, EM SER V M videlicet, COCHLAEV M, AMNICOLAM, SILVIV M, et ceteros, quos in LV THER V M instigauit, fouitque, patefactam ab hoc veritate opprimere fuerit conatus, qua cura, quoque animi impetu in id incubuerit, vt ne illa ipsa has in regiones admittetur, quam aspere fauentes eidem tractauerit pastores, et quae denique alia suscepit, vt priscam superstitionem tueretur atque confirmaret. ^{λ)}

B

Enim-

^{a)} Obit enim III Idus Octobr. a. 1537, teste Biogr. Episc. Misen. MS. et FABRICIO, I. III, p. 189; non, anno 1538, qui error esse videatur typographicus ap. SECKENDORF. L. III, p. 215.

^{b)} De IOHANNE SCHLEINITIO, eiusque aduersus LV THER V M et religionem euangelicam ges-
sis, praeter FABRICIV M, I. III, p. 178;
CHYTRAEV M, I. VII, p. 202, pluribus exposuit III. SECKENDOR-
FIVS, *Comm. de Lutheranis*, libro I, §. 64, 75, 124, 127, 130, 161.
add. C. S. SENFFIVS, *Hist. Eccl. Stolpenis*, c. II, p. 64, sqq. Ma-
gnam eam ob rem a suis iniuit gratiam. Hinc in ipsius elogio, quod
Praesulum Misenerium virtutae descriptioni, quam supra memoratus ex-
hibet Codex *Salbusianus*, ab alia manu adiectum est, haec de eo praed-
dicantur: „Plebem, suae comissarii custodiae, sana patuit doctrina, et
„quum sub ipsis administratione Lutherana secta longe lateque per has
„ditiones grasseretur, ipse tamen, Domino propitio, maiorem sui ouilis
„partem, usque ad obitus sui diem, a schismate liberam conseruavit; co-
„natus ipsis mirum in modum fauente illustrissimo et catholico Prin-
„cipe, GEORGIO, Saxonum Duce.

X

Enimuero, propositi nostri ratio postulat, vt ad IOHANNEM VIII, gente *Mahitium*, pergamus. *Hic*, quem, paucis ante obitum suum annis, coadiutorem sibi delegerat, cognatione cum ipso coniunctus, IOANNES *Schleimitius*; quique, anno CIO IO XXXVIII, Praefulatum inierat Misenensem, hostile, quod, patrui sui exemplo atque institutis confirmatus, in euangelicam doctrinam conceperat, odium retinuit quidem, sed, vbi mox insequenti anno, Ducis GEORGII morte, magna his in regionibus rerum facta esset conuersio, simulatione vslus est, reformandaeque ecclesiae modum atque rationem proposuit HENRICO, re ipsa id agens, vt verae religionis cohiberet instaurationem. Rem omnem, adhibitis certissimis, quae Vinariense tabularium ipsi suppeditauit, documentis, more suo, egregie exposuit Perillustris SECKENDORFIUS, *Commentarii de Lutherenismo libro III*, §. LXXI, p. 215. et seq. cuius adeo ductum, in eadem breuiter enarranda, sequemur.

Nempe, vix dum ad prouinciarum, quae sub Fratris imperio fuerant, regendarum gubernacula accesserat HENRICVS, cum Misenenensis Praeful, verens, ne doctrinae sacrisque, a LVTHERO emendatis, addictissimus Princeps eorumdem facrorum mox particeps redderet subditos suos, iure quasi suo, per litteras, ab illo postularet, vt nihil quidquam in religione nouare aggredetur. Iisdem vero etiam litteris, die XXII Aprilis datis, se ipsum de pia reformatione cogitaturum esse, pollicebatur. Nec ita multo post, die videlicet nono Iunii, Ecclesiae suae Decanum, iVLIVM PFLVGIVM, vna cum duobus Canonicis, BENNONE ab HEYNITZ et HENRICO a BUNAV, ad HENRICVM Ducem legauit, qui librum eo nomine compositum, ipsi offerrent. Liber iste inscriptus erat: *Eine gemeine chrifflche lahr in Articuln, die einen ieden Chriften zu wissen von nöthen; h. e. Doctrina christiana generalis de articulis, cuius Christiano scitu necessariis.* In allocutione ad Principem, seu epistola, quam libro praemisserat Praeful, repetitis initio precibus, vt Episcopatum Cle-
rum-

rumque suum Dux HENRICVS maiorum suorum tueri velle exemplum, ei significabat, se, promissi memorem, ac pro officii sui ratione, ut populi, ob dissidia in religione periclitantis, consulteret saluti, doctrinae christianaee atque orthodoxae, in dioecesi sua seruandae, compendium hocce ex verbo Dei conscribendum curasse; articulos autem nonnullos controueros de industria omissos fuisse, quod horum notitia laici facile carere possent; seque in eo iam esse, vt studium suum operamque ad Sacramentorum, caeremoniarumque doctrinam, singulari etiam libro tradendam, conuertat. Consilium inde suum de re scholaistica emendanda, de constituen- dis sacrarum litterarum interpretibus, de synodis visitationibusque instituendis, expomens, haec & alia, quae SECKENDORFIUS pluribus refert, addiderat, vt Principis voluntatem rebus suis conciliaret.

Sed de libro ipso nunc videamus. An typis impressum eum ad HENRICVM miserit Praeful, non indicat SECKENDORFIUS, id tantum tradit, libellum CXCV. foliorum Praefulius legatos illi exhibuisse, librique huius volumen, cum epistola Episcopi, Principi Electori Saxoniae ab HENRICO postea transmissum, cum notis quibusdam, LVTHERI, MELANCHTHONIS, et PONTANI, Cancellarii, manu margini adscriptis, in archiuo Vinariensi adhuc afferuari. In eam fere opinionem adducor, vt credam, manu scriptum fuisse, quod Principi oblatum est, libri exemplum, annoque demum 1540 XLI typis impressum illum prodisse. Nempe, illo ipso anno, apud S. Viatorum, in suburbio Moguntino, librum istum, omissa Praefulius ad HENRICVM Principem epistola, impresit Franciscus Behem, forma quadripartita, hoc titulo: *Ein Christliche Lere, zu gründlichem und bestendigem Vnderricht des rechten Glaubens, und eines Gotserlichen Wandels, durch den Hochwürdigen in Got Fürsten und Herrn, Herrn IOHANSEN Bischofen zu Meyßen, allen frommen Christen, und insonderheit seynem befolkenem Volk, zur Besserung fürgestelt.* Continet in se liber cum credenda, tum agenda, quorum illa,

XII

la, Symboli Apostolici, in XII articulos dispartiti, haec, De-
calogi expositione, traduntur. Praecipuas, in eo concinnan-
do, IVLII PFLVGII, vel GEORGII VICELII, partes fuisse,
ex speciosa eiusdem ad euangelicam doctrinam conformatio-
ne, stylisque lenitate, SECKENDORFIVS auguratur; qui et
iam, quod multa in illo veritati consentanea reperiantur, nec
ad id tempus simile quid ab Episcopis editum ostendi queat,
isthac nomine commendandum eum esse, censet. Attamen,
si accuratus paullo inspiciatur, id, quod LVTHERVS et Col-
legae ipsius de eodem tulerunt, iudicium verissimum esse, ap-
paret. Horum enim, Vitembergensium videlicet Theologo-
rum, examini atque censure mox subiectus fuit liber, siquidem
HENRICVS Dux, acceptum eum, vna cum epistola
Praefulsi, protinus ad Principem Electorem Saxoniae, IO-
HANNEM FRIDERICVM, Vinarium perferendum
curavit, hic autem redditum sibi modo dictis Theologis mi-
lit, vt, omni adhibito studio diligentiaque, illum expenderent,
suamque de eo sententiam, et, quid ab HENRICO Prae-
fulti Misenensi respondendum esse, existimarent, libere atque
aperte dicerent, idque iudicium suum, litteris consignatum,
propediem sibi offerrent. Illi igitur, voluntati Principis omni
obsequio morem gerentes, Calendis Iuliis, litteras ad eum de-
derunt, a LVTHERO, IONA, MELANCTHIONE, subscriptas,
iisdemque, quid de hoc libro iudicarent, plenissime significa-
runt. Cum, saepe ac multum iam a nobis laudatus, SECKE N-
DORFIVS, quae hisce litteris, nondum editis, portissimum con-
tinetur, excerpserit, breuiter illa summatimque nunc refe-
remus.

Ac generatim quidem LVTHERVS et Collegae ipsius
monent, librum, quem *Misenensium sacerdotum commentum*
vocant, suis, Vitembergensium nimirum doctorum, plumis
adornatum, in multis articulis pulchre satis atque speciose in-
cedere quidem, sed hac arte, ad fucum faciendum, composi-
tum, veneni plenum esse, euangelicaeque rei maxime perni-
ciosum. Itaque reiiciendum omnino eum esse, censem, et

vt,

ut quare id faciendum sit, liquidius appareat, tria speciatim
in illo ipso notant. Primum igitur, quod reprehendunt, il-
lud est, quod liber iste paucos tantum, eosque callide fuca-
tos, complectatur articulos, silentio autem transeat illos, in
controversia qui praecipue versabantur, verbi causa, de *Mis-
sa*, de *communione sub utraque*; de *coniugio clericorum*; sub-
dole enim agere autores illius, si hos teste intelligent, cum
dicunt, *consuetudines ecclesiae esse seruandas*, (f. 81. edit. Mog.)
nec minus culpandos, si tales eos esse putent, quos laici
ignorare possint. Deinde, in euangelicos quam maxime
iniuriosum librum esse, monent, quippe quos haud ob-
scure designari, ostendunt, ubi nimurum defectionis a
fide accusantur, et damnantur, qui in factionem coeunt, et
singularia atque ecclesiae communi et consuetudinibus ac ri-
tibus illius minus consentanea sectantur, seque solos pro vera
ecclesia venditant; μ) qui schismata in ecclesia Dei aduersus
magistratum ecclesiasticum faciunt, eoque charitatem proximi
et concordiam Christianam laedunt. ν) Quam ipsam vero cri-
minacionem firmissimis simul iidem rationibus repellunt, nec

B 3 pro

ο) Verba libri, ad quae respiciunt Theologi nostrates, leguntur in expo-
sitione Symb. Apost. art. IX, fol. 30, a. edit. Mogunt. arque ita habent:
*So sich nun elische rotyron, machen jnen ein sonders, welches der gemeinen
Kirchen, vnd auch jren gebrauchen vnd übungem nicht gemes, vnd annauf-
sen sich darneben des, als haben sie die rechte kirchen allein bey jnen: Hät-
te dieb vor solchen rotten, dann sie machen spaltungen, und handeln wider
die kirchen, welche die säule ist der warbeit, 1 Timot 3. Weichen abe von
dem rechten glauben vnd verfüren sich selber. Dann wer die braut Christi
verleßt, verleßt Christum auch, Iohann. 3. Mat. 12. Luc. 11. Euangelicos au-
rem his verbis perstringi, luculenter patet ex iis, quas paulo post de
schismatibus et haeresibus, in Germania recens exortis, dicuntur.*

ι) In exposit. Decalogi, praecl. IV, f. 82. *Vnd gleichwie dieienigen, so wi-
der jre weltliche oberkeit auffleben, und sich rottiren, hart sindigen, vnd
den Zorn Gottes wider sich erregen, Also laden auch die, welche Spaltung
in der kirchen Gottes, geistlicher oberkeit zu entgegen, anrichten, den Zorn
Gottes auff sich vnd dann sie handeln öffentlich wider die liebe des nachsten
und Christliche einigkeit der kirchen, welche der Apostel erfördert, 1 Cor. 1.*

XIV

pro schismaticis aut haereticis habéndos esse, qui impios et idololatricos ritus, capitalesque in doctrina fidei errores, sub Papatu in ecclesiam inuectos, abrogauerint, sed aduersarios potius, illis inhaerentes, factae a vera ecclesia secessionis, eiusque adeo criminis, quo perperam insimulent euangelicos, reos omnino esse, demonstrant. Tertio, grauiores aliquot, qui hoc in libro occurrunt, indicant errores, nec a Pontificia primarii religionis Christianae de iustificatione articuli depravatione auftores illius discedere, docent, quod, licet pulchre fatis de Fide in Christum loqui videantur, tamen, ea sola remissionem peccatorum et salutem aeternam impetrari, non affirment, ac de Operibus, quae sanæ doctrinæ aduersentur, tradant. ξ) His, aliisque adductis, id quod de infestis Praefulis molitionibus compertum habebant, laudati referunt Theologi, tandemque Principem Electorem rogant, vt auctor sit HENRICO, vt reiceret librum, Episcopum autem, vt ab euangelijcorum abstineat condemnatione, et ad meliorem ac sinceram reformationem animum appellat, cohortaretur.

Neque vero etiam hoc, aliisque Misenensis Episcopi conatibus, a pio proposito suo abduci se passus est HENRICVS. Etenim, cum interea temporis Praeful, iteratis literis, V. Cal. Iul. ad Principeim datis, vt libro, per legatos oblato assentiretur, ipsum commonefaceret, simul vero de abrogata in ecclesiis quibusdam Missa, et de visitatione, absque consensu suo instituta, valde conquereretur, tandemque id proponebat, vt decem viri, ex Nobilitate et Theologis a se et Duce deligerentur, qui de religionis causa et concordiae mediis liberarent, HENRICVS, ad ea respondens, non aliam,

quam

ξ) vid. f. 18, 49, etc. Quin plures hoc in libro occurrunt errores, miro quidem artificio incrufati. Huc pertinent quae de poenitentiae ratione formalí, f. 34, de satisfactiōne pro poena peccatorum temporali, f. 37, de lege morali a Christo aucta, perfectaque, f. 45, de imaginum cultu, f. 54, de reliquiarum efficacia et virtute f. 57, de sanctorum invocatione, f. 59, etc. tradundur.

quam quae Augustanae Confessionis praescripto conueniat, sacerorum emendationem sibi probari, inceptamque eam se persecutum esse, significabat. Cumque, irritatus hoc ipso, Episcopus mox inde, IV nimirum Non. Iul. alias ad HENRI-CVM mitteret litteras, quibus, praeter cetera, Confessionis Augustanae impugnabat auctoritatem, non amplius audiendum eum esse censuit laudatissimus Princeps; idemque, LVTHERI consilio ^{a)} confirmatus, visitatoribus delectis, nominatum IVSTO IONAE ET GEORGIO SPALATINO, Theologis, ac viris nobilibus, MELCH. a CREVZEN et IOHANNI a PACK, demandauit, ut ipsam quoque Ecclesiam Misenensem reformatarent. Qui adeo, ad negotium hoc expediendum, Misenum profecti, rei, circiter Idus Iulias; initium fecerunt, cui et ipse Dux HE NRICVS et Princeps Elector Saxo praesentes adfuerunt; indeque pro veteri ritu ac religionis forma, nequicquam repugnantibus Canonicis, IVLIO in primis PPLVGIO, Decano, et HENRICO CAROLOVITIO, euangelicum substituerunt cultum. Deiecta fuit eodem tempore, BENNONIS, quindecim annis ante, magna cum pompa in diuorum numerum eucti, tumba; Canonicis et sacerdotibus, qui doctrinam Euangelii amplectentur, et officio aliquo ecclesiastico fungi vellent, manere in urbe permisum: qui aliter sentirent, iis relictum deliberandi spatium: qui pertinaces essent, concessa iisdem tuto abeundi facultas. ^{π)} *Mahitius*, Praeful, infirmata potestate sua, fatis habuit, si Stolpenae suis se finibus continere posset. Eadem sorte contentus vixit ipsius in Praefulatu successor NICOLAVS II, *Carolouitius*. In huius autem, anno 1510, demortui locum suffectus, IOHANNES VIII, *Hauguitius*, euangelicam tandem amplexus est doctrinam, ac Praefulatum Misenn-

^{a)} Consilium hocce LVTHERI extat in Operum ipsius Tomis, cum ceteris, tum Altenburgensi VII, p. 381, et Lipsiensi XXI, p. 309.

^{π)} vid. FABRICIVS, Annal. Mis. L. III, p. 192; SECKENDORFF. Comm. de Luther. L. III, §. LXXXII, p. 221.

XVI

nensem, quo, die XIII Cal. Nou. a. CIO IO LXXXI, rite se abdicavit, ad Principem Electorem Saxoniae, AVG VSTVM, transmisit, qui etiam mox inde administrationem eius suscepit.

Nostrum iam est, diuinam hinc agnoscere prouidentiam, quippe cui cum maxime debetur, quod incassum ceciderint cum callida illa Praesulis Misenerensis consilia, tum ceterae omnes, aduersus purioris doctrinæ sacrorumque his in regionibus instaurationem, apertæ pariter atque clandestinae, molitiones. Nostrum vero etiam est, summi ac longe præstantissimi illius, quo maiores nostros DEVS affecit, et quo nos hodieque gaudemus ac fruimur, beneficii, instauratae videlicet religionis euangelicae, memoriam gratissima recolere mente, immortalesque DEO gratias agendo, supplicibus Eundem precibus, ut salutarem Euangeliæ doctrinam nobis et posteris nostris salvam conseruare velit, orare atque implorare. Atque hoc illud ipsum est, quod instantis etiam diei festi postulat celebritas, quæ vt rite peragatur, in solenni panegyri Academica, Vir Praeclarissimus, omnique doctrina et humiorum in primis litterarum studiis eruditissimus, Dn. M. THEOPHILVS SALOMO SCHREBERVS, Misenerensis, doctam et elegantem, *de meritis in ecclesiameorum, qui res a B. LVTHERO gestas exposuerunt, orationem recitabit.* Ad eum igitur beneuole audiendum, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PROCERES VTRIVSQUE REIP. GRAVIS SIMOS, GENEROSISSIMOS item ac NOBILISSIMOS CVVES NOSTROS, officiose peramanterque inuitamus. P.P.
Dom. XXII p. Trinit. A.R. S. CIO IOCCXXXIX.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

ULB Halle
006 794 645

3



vor





	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	50.80
Farbkarte #13	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.										

I Wk
2518

Frid. Boerner progr. de
reformandi a Joanne VIII. Mi-
st Episcopo, Henrico Saxonica
proposita.

RECTOR
EMIAE LIPSIENSIS
ISTAVRATAE
ONIS EVANGELICAE
MEMORIAM

KAL. NOV. A. CIO CCC XXXIX

A E D E P A V L I N A
N N I O R A T I O N E
C E L E B R A N D A M
I N D I C I T



cripti est D. Chr. Fr. Börner,
A. prim. agitque de
hafatio, clisenensi episcopo.